

Placuit vero posse matrimonium celebrari coram Parocho alterutrius sponsi. Licet ergo soleat matrimonium celebrari coram Parocho sponsæ, quæ in domum viri traducitur, tamen et validum et licitum est matrimonium contractum coram Parocho viri.

72. Et quidem quoniam Trident. Concilium absolute dicit matrimonium celebrandum esse coram Parocho, matrimonium validum erit, si in Parochia sponsi contrahatur coram Parocho sponsæ, vel viceversa, licet Parœciæ ad diversam Diœcesim pertineant; ad validitatem enim matrimonii sufficit præsentia Parochi proprii. Atque ita respondisse S. Congr. Concilii in Aquilana refert Giraldis. *Jur. Pont. Parte 2^a. Sect. 115.* Præsentia enim Parochi in matrimonio proprie non exhibet exercitium jurisdictionis, quia Parochus juxta Concilium Tridentinum solummodo præstat assistentiam ceu *testis qualificatus* aut ad summum præsentia Parochi considerari potest, ceu actus jurisdictionis *voluntariæ*, quæ semper exerceri potest, etiam extra proprium territorium sine pompa et apparatu functionis publicæ pastoralis.

73. Hinc in aliena Parœcia, inaudito vel etiam invito Parocho loci, poterit Parochus assistere licite matrimonio sui vel suorum Parochianorum, dummodo celebratio fiat in privato loco, seu clam et absque benedictione nuptiali. *Cf. Reiffenst. h. t. n. 65.*

74. Præter domicilium, in matrimonio consideratur etiam *quasi domicilium*. Domicilium enim importat animum seu intentionem in perpetuum alicubi commorandi; quasi domicilium autem importat animum seu intentionem alicubi diuturnam moram habendi. Quoad domicilium enasci non potest difficultas. Nam eo ipso quod quis in aliquo loco domicilium figat seu resideat de facto, et intendat et declaret se velle in perpetuum ibidem commorari, eo ipso subditur Parocho loci, idest domicilium contrahitur statim ac quis incipiat habitare in loco, ubi intendit stabiliter seu in perpetuum remanere. *L. Cives 'cod. de Incolis'*. Hinc statim sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Nec attenditur dispositio Innocentii XII. *'Speculatores'* quæ decennium requirit ad sortiendum proprium Episcopum domicilii; nam hæc dispositio data est pro Ordinum susceptione. Quare qui se transtulit in alium locum et acquisivit ibi domicilium, poterit contrahere matrimonium, si tanto tempore commoratus fuerit, quantum requiritur ut a Parocho sufficienter cognoscatur.

75. Quoad vero *quasi domicilium* in genere dici potest illud constitui per diuturnam moram. Quare contrahit aliquis quasi domicilium, quando se transfert in aliquem locum, cum intentione in eodem diu commorandi. Intentio autem eruitur ex fine commorationis. Si enim finis est precarius, qui nempe indeterminatam importet moram, quæque esse potest etiam brevissima, et prorsus remissa voluntati commorantis, non acquiritur quasi domicilium. Unde qui in aliquo loco reperitur rusticandi gratia, vel ad explendum negotium rei familiaris, vel ut valetudini suæ consulat, non acquirit in loco quasi domicilium, et per consequens non sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Quare Bened. XIV. *Inst. 33. n. 7.* refert S. Congr. Concilii hæc tamquam principium statuisse: *'Sacra Congregatio inhærendo declarationibus, alias factis respondit: Parochum ruralem non esse verum et proprium Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonia valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse'*. Plures deinde alias decisiones S. Congr. refert Benedictus in eodem loco.

76. Ratio est quia natura rei et finis objectivus, importat indeterminatam et vere precariam habitationem, etiam brevissimam unius diei. Quando autem finis secumfert diuturnam commorationem in aliquo loco, acquiritur ibi quasi domicilium. Hinc discipuli et magistri in civitate ubi est Universitas studiorum, quasi domicilium sortiuntur. Idem dicendum de iudicibus et in genere de publicis officialibus, qui in aliquem locum mittuntur, ut ibi officium aliquod permanens exerceant. Isti omnes in loco quasi domicilii sortiuntur Parochum proprium ad valide matrimonium contrahendum, quia revera Parochus loci administrat eis sacramenta, et relate ad eos exercet jura parochialia.

Hinc proposito dubio *'Quid si contrahens in aliquo loco commoretur, tamquam Prætor, Judex, seu medicus temporalis, valetne matrimonium contractum coram Parocho ejusdem loci?'* S. Congregatio respondit valere. Ita penes Benedictum XIV. *l. c. n. 11.*

77. Et quidem quoniam qui ratione alicujus causæ ex supradictis, vel similibus, statim acquirit in loco commorationis novæ quasi domicilium, uti communis fert sententia Doctorum, hinc illi qui se conferunt ad aliquem locum ob unam ex præfatis causis,

valide ibidem matrimonium contrahunt, statim ac commorari incipiunt; idest etiam prima die; eo quia a prima die sortiuntur parochum proprium ad Sacramenta recipienda in loco quasi domicilii. Ad honestatem vero actus, Doctores tradunt, matrimonium celebrandum esse postquam novi incolæ per illud tempus in loco habitaverint, quo a Parocho sufficienter cogniti fuerint. Cf. Epist. Bened. XIV. *Paucis abhinc hebdomadis diei 19. Martii 1758*, ad Archiepiscopum Goanum, quæ legitur in Appendice tom. III. Bullarii ejusdem Pontificis.

78. Sed quoad matrimonii validitatem est aliquid amplius. Quasi domicilium enim arguitur etiam ex facto longæ commorationis, idest quando ad matrimonium ineundum, contrahentes in aliquem locum se transtulerint, ibique diu commorati fuerint, ipsum factum diurnæ moræ inducit præsumptionem intentionis quasi domicilium acquirendi præcise ad matrimonium contrahendum. Cf. hac in re cit. Epist. Bened. XIV. ad Goanum archiepiscopum.

79. Refert in ea Pontifex, resolutionem S. Congreg. Concilii excerptam ex Fagnano in cap. 5. *De parochis n. 39*. cujus species hæc erat: Vir et mulier trajectenses, cum timerent ne obstacula a parentibus interponerentur ad contrahendum in patria sua matrimonium, vicinam urbem Aquisgranam petierunt, atque ibi post aliquod tempus contraxerunt matrimonium. S. Congregatio consultata de hac re censuit expendendum esse tempus quo contrahentes Aquisgranæ commorati erant. Quod si fuisset saltem unius mensis, respondit dandam esse decisionem pro validitate matrimonii. Huic decisioni adhæret Bened. XIV. in loc. cit. §. *'Post hæc'*.

Unde concludi potest quasi domicilium contrahi per moram unius mensis in aliquo loco dummodo commoratio facta non fuerit rusticationis causa, vel ob alium præcarium finem juxta dicta superius, sed cum intentione contrahendi quasi domicilium ad ineundum matrimonium. Immo commoratio unius mensis haberi potest ceu sufficiens ad præsumendam intentionem contrahendi quasi domicilium, et sortiendi proprium Parochum quasi domicilii ad matrimonium contrahendum. Ratio est quia hæc commoratio censetur talis qua Parochus loci possit cognoscere contrahentes, et quoniam satis longa est, jure præsumere facit intentionem eorundem, manendi in loco per majorem partem anni.

Hanc tractationem de quasi domicilio in ordine ad matrimonii valorem enucleamus verbis clarissimi Feye in altera editione sui operis: *'De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus n. 227'*. Hic clarissimus auctor testatur, se Romæ ex authentico documento didicisse 'S. Sedis mentem esse, ad quasi domicilium duo hæc simul requiri, habitationem nempe in loco ubi matrimonium contrahitur, atque animum ibi permanendi per majorem anni partem; ex primo autem die, quo hæc duo simul concurrunt, acquisitum esse quasi domicilium; quod si de prædicto animo non constet, ad indicia recurrendum esse, quæ moralem certitudinem pariant; inter hæc autem unum ex præcipuis esse, quod Benedictus XIV. const. *Paucis abhinc*, indicat, menstruam nempe habitationem; ex hoc enim haberi præsumptionem juris pro intentione manendi, per majorem anni partem; contrarium tamen ferri debere judicium, si aliunde certo constet animum illum non extitisse.'

80. Nunc quæritur, quid dicendum, si locus mutetur in *fraudem legis*, ne contractus matrimonii celebretur coram Parocho veri et proprii domicilii?

Profecto si duo domicilium proprium non relinquentes, sed illud conservantes, ad alium locum se transferant, et ibi ineant matrimonium, quin antea contraxerint saltem quasi domicilium, matrimonium irritum est. Hæc conclusio infertur ex resolutione Sacræ Congregationis Concilii diei 5. Sept. 1626 confirmata ab Urbano VIII. per Litteras Apostolicas in forma Brevis die 14. Augusti 1627. Et ratio est, quia matrimonium in præfata hypothesi censetur contractum in fraudem legis; qui vero contra legem et in fraudem legis agit, nihil agit. Et hæc conclusio valet etsi duo se conferant in locum ubi promulgatum non est Tridentinum, et ibi matrimonium contrahant absque Parocho et testibus.

81. Quod si vero duo ad contrahendum matrimonium se conferant in alium locum cum intentione ibidem tanto tempore manendi, quantum requiritur ad acquirendum quasi domicilium, matrimonium valet, quia quasi domicilium adepti sunt. Cf. Ben. XIV. cit. Epist. Hinc non contrahunt matrimonium in fraudem legis, sed contrahunt quasi domicilium a lege non prohibitum, quod a jure requiritur ad matrimonium ineundum. Conferri potest resolutio S. Congr. Concilii in *'Coloniensi'* approbata ab Urbano VIII. die 14. Augusti 1627, quam refert Benedict. XIV. in cit. constit. 33. n. 9. Conferri etiam potest resolutio ejusdem S. Congreg. die

22. Febr. 1631 relata a Giraldis l. c. 4. Cf. Fagnanus comm. in cap. 5. *'Significavit, de Parochiis m. 19. seqq.'*

De matrimonio vagorum.

82. Vagi distinguuntur a peregrinis. *Vagus* est, qui relicto prorsus suo domicilio, sedem quærit alibi; seu melius vagi sunt, qui nullam sedem stabilem habentes, neque domicilium, neque quasi domicilium, alicubi figunt. *Peregrinus* est ille, qui iter facit eo consilio, ut aliquando ad pristinum domicilium revertatur.

Porro peregrini tenentur, ut quisque videt, lege Tridentina, et non possunt contrahere in locis ubi versantur, nisi saltem quasi domicilium ibi fuerint adepti.

83. Vagi autem valide contrahunt coram Parocho loci ubi versantur. Ita sententia communis doctorum et Bened. XIV. cit. const. n. 10. Vagi enim in loco ubi promulgatum est Concilium Tridentinum, proprium Parochum habere debent, ut verificetur lex Tridentina, quæ generaliter cavet matrimonium non aliter valere, quam si coram proprio Parocho contrahatur. Jam vero nullus alius potest esse Parochus personæ vagantis, quam Parochus loci illius ubi actu ipse vagus versatur.

84. Dixi ubi promulgatum est Concilium Tridentinum; nam ubi promulgatum non est, vagi valide contrahunt matrimonium absque ulla præsentia Parochi et testium. Nam vagi carentes domicilio proprio, sequuntur mores loci in quo versantur.

85. Et quidem matrimonium valet, licet unus tantum ex contrahentibus sit vagus, quia Concilium Tridentinum, ob favorem matrimonii, in constituendo impedimento clandestinitatis, unius tantum ex contrahentibus conditionem et habilitatem attendere visum est.

86. Matrimonium autem vagorum valet, etiam, si contrahentes suam stabilem sedem deseruerint, eo fine ut in conditione vagorum, facilius matrimonium inire possent. Nam tunc solum non valet matrimonium, quando contrahitur in fraudem legis, non autem quando nova conditio seu status quæritur, in quo lex, quæ in pristino domicilio obligabat, vel non amplius obliget vel obliget modo diverso. Hinc contrahentes qui deserunt domicilium et vagi fiunt ad contrahendum matrimonium, non offendunt directe legem, sed

assumunt conditionem, in qua eis a lege matrimonium contrahere permittitur, et per consequens, vagis in casu optime applicator principium legis 55 ff. De Reg. Jur. *'Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo.'*

87. Ad valide autem contrahendum requiritur ut vagi relinquerint *serio* et non *facto animo* proprium domicilium, secus enim legibus domicilii sui adhuc obligantur.

88. Quoniam vero homines vagi non raro poligamiæ simultaneæ vitio maculantur, hinc Concilium Tridentinum sess. 24. c. 7. *De Ref. matrim.* præcipit Parochis, ne intersint matrimoniis eorundem vagorum, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, circa status libertatem, et nisi re Ordinario delata, ab eodem obtinuerint licentiam assistentiam præstandi.

Ex expositis principiis possunt resolvi quæstiones, quæ circa Parochum proprium ad valide contrahendum matrimonium enascuntur.

Ut enim matrimonium valide contrahatur requiritur 1º. Parochus proprius; 2º. ad proprium parochum sortiendum requiritur domicilium vel quasi domicilium, exceptis hominibus vagis. Hinc *capellanus* in carceribus, in hospicio et in aliis locis publicis, non est proprius Parochus ad contrahendum matrimonium. Si vero quæstio occurrat, conferri potest Bened. XIV. cit. Instit. 33. necnon Giraldis in citata sectione 118 parte IIª. Quædam dicenda sunt:

De qualitate proprii Parochi.

89. Tridentinum absolute edicit, matrimonium contrahendum esse coram proprio Parocho. Hinc valet matrimonium contractum coram Parocho *non sacerdote*, etiam prima tonsura solummodo initiato, et licet non fuerit intra annum ad sacerdotium promotus. Ita respondit S. Congreg. in 'Abalensi' Decembr. 1593; et in 'Mariannensi' 29. Martii 1653.

90. Valet etiam matrimonium coram Parocho notorie *fornicario* et *suspensio*. Etenim Tridentinum Concilium solam qualitatem Parochi attendit. Ita S. Congr. in 'Dramon.' lib. 3. Decret. pag. 31.

Tandem valet etiam matrimonium si contrahatur coram Parocho, *cui prohibitum est ab Episcopo ne assistat matrimonio.*

91. Nam nisi ab Episcopo Parochus officio suo privetur, semper remanet Parochus, et proinde matrimonium coram eo contractum, merito censetur celebratum esse juxta Tridentinam formam. Matrimonium enim valet coram Parocho contractum, quoties Parochus titulum sui Beneficii retinet. Immo merito tradunt Doctores sufficere titulum coloratum seu putativum, qui nempe ex errore communi verus reputatur. Error enim communis tribuit et prorogat jurisdictionem in personis juxta celebrem legem *'Barbarius'* receptam etiam in Jure nostro. Cf. Responsa S. Congreg. Concilii data Episcopo Giennensi a. 1584 penes Giraldi loc. cit.

92. Notandum insuper est, non esse solum Parochum, qui matrimonii celebrationi assistat, sed validum est etiam matrimonium contractum coram Ordinario loci. Nam qualitas et potestas parochi continetur *eminenter* in potestate Ordinarii. Nomine autem Ordinarii venit *Episcopus Diocesanus, vel Abbas nullius*, cujus jurisdictioni subsunt contrahentes, et *Vicarius Generalis* arg. tit. 29. lib. 1. Ita etiam sensit S. Congr. Conc. in *'Carpen'* matrim. 21. Jan. 1680 lib. Decret. 31. pag. 1.

93. Tandem Conc. Tridentinum cavit posse fieri matrimonium coram alio sacerdote, de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia. Hæc licentia seu deputatio fieri potest non solum ab Episcopo sed etiam a Vicario Generali, quia et ipse in communibus negotiis venit nomine Ordinarii.

94. Licentia autem hæc vel deputatio fieri potest personæ alicui ut assistat matrimonio cuidam determinato, vel etiam in genere ut assistat matrimoniis in Parœcia celebrandis. Tridentinum enim qualitatem et modum licentiæ non definivit. Hinc S. Congreg. in *'Aquinaten'* 10. Junii 1591 et in *'Nullius'* 16. Martii 1630 decrevit valere matrimonium coram coadjutore Parochi deputato *in genere* ad sacramenta administranda, sicut et coram capellano habente *in genere* facultatem ab Episcopo eadem sacramenta administrandi. Hinc etiam Vicarius qui locum tenet Parochi, vel defuncti vel absentis, valide matrimoniis assistit; nam censetur delegatus ad universitatem causarum, idest ad omnia negotia Parochi implenda. Hic vero Vicarius prout delegatus ad universitatem causarum potest alium subdelegare ad assistentiam præstandam matrimonio.

Ex præscripto autem Concilii Tridentini qui Parochus non est, sed assistit matrimoniali contractui, ex licentia seu ex dele-

gatione Parochi ipsius, vel Ordinarii debet esse sacerdos. Hinc non sufficit si sit Diaconus vel inferior minister.

95. Præter Parochum vel sacerdotem de Parochi vel Ordinarii licentia, in matrimonio debent adesse duo vel tres *Testes*. Cum Tridentinum nullam in eis requirat specialem qualitatem, hinc 1^o. sufficit ut juxta naturale jus tantum idonei sint ad fidem faciendam de aliquo facto. Hinc etiam fœminæ, etiam ætate minores possunt testes esse in matrimonio 2^o. solemnitas quoad ipsos non requiritur, seu necesse non est ut sint *rogati*, sed sufficit ut percipiant, et referre possint factum contractus matrimonialis. Nec pariter obstat censura, si qua forte testis sit ligatus.

96. Quæritur ultimo loco, qualis debeat esse præsentia parochi in matrimonio. (Quæ de parocho dicuntur, etiam de testibus requisitis ad validum matrimonium contrahendum, ob æqualitatem rationis dicenda sunt.)

Sola *physica* præsentia Parochi non sufficit ad contrahendum matrimonium. S. Congr. in *'Romana'* 6. Martii 1700.

Pariter valide non contrahitur matrimonium si Parochus quidem adfuerit, nihil tamen vidit aut audivit eorum quæ agebantur. Hinc præsentia Parochi debet esse *moralis vel formalis*.

97. Verum si Parochus dum matrimonium contrahitur, casu, et aliud agens, vidit et audivit duos coram se matrimonium contrahere, matrimonium valet, licet suam auctoritatem non interponat.

Immo valet matrimonium quamvis Parochus effectet ignorantiam, vel sit invitus et compulsus per vim, studeatque sese retrahere a quavis participatione actus; dummodo Parochus intelligat coram se fieri matrimonium inter duas determinatas personas, ejus assistentia sufficiens reputatur pro validitate ejusdem.

98. Quare Parochus merito dicitur testis *auctorabilis*, seu *qualificatus*, cujus præsentia moralis necessaria est ad valide matrimonium contrahendum. Cfr. Responsa S. Congr. data Episcopo Giennensi 1581, lib. Decret. p. 59, relata a Giraldi loc. cit. circa finem.